

dum aliquam corruptelam & depravationem Aëtorum Sy-nodalium Sexti Concilii persuadeant, addo, Concilium, Oecumenicum (quod fieri posse sentiunt omnes Catholici) in quaestione facti aberrasse, adeo ut eadem Aëta, quæ vel corrupte vel erronee Honorium damnatum fuisse re-ferant, causam dederint Patribus Septimi Concilii Oecu-menici, statuendi ac decernendi de Honorio illud, quod in Aëtis Concilii Sexti vel corruptis vel erroneis decisum fuisse legerant. Idem ipsum consequenter dicendum de S. Leone II. Papa, de Patribus Octavi Concilii, de Ta-razio Patriarcha, de Adriano Papa, de Diurno Roma-norum Pontificum, deque cæteris Græcis Latinisque, qui ex Actis Sextæ Synodi vel corruptis vel erroneis anfam acceperunt statuendi de Honorio illud, quod errantes in quaestione facti Patres Synodi Sextæ, adversus Hono-rium decreuisse legerant. Hæc Baronius & Binius.

At vero Adrianus II. Pontifex in Epistola, quæ re-citata fuit Aët. 7. in Synodo Octava, medium viam in-iisse videtur: ut nempe ex Aëtis Sexta Synodi & Pa-tribus qui Honorium damnaverant, nihil derogaret; si-mulque ostenderet, Honorio non ab Ecclesia Rom., sed ab Orientalibus anathema propterea dictum fuisse, quod super hæresi accusatus esset; sic enim Photium perstrin-git: *Intolerabilis est ista præsumptio, dilectissimi, & hanc aures præcordiorum, fateor, sustinere non possunt. Quis vestrum unquam tale quid audivit? Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præfulibus judicasse legimus; de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab ORIENTALIBUS anathema post mortem sit dictum; sciendum tamen est, quod fuerat super hæresi ac-cusatus, propter quam solum licitum est minoribus Majo-rum suorum motibus respendi, vel pravos sensus libere, respuendi.* Ubi duo hic notanda sunt: Primum, quod dicit Pontifex, *Ab Orientalibus:* deinde, quod subjun-git: *quia fuerat super hæresi accusatus: nimirum, ac-cusatus, non tamen examinata accusatio, neque is con-vitus de hæresi: idque ab Orientalibus factum, non ab universa Ecclesia.* Honorium quippe ut suum ebuc cina-rant